



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Vnde illi conflata in uidia. n. 26.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1602. anno supra millesimum quinto decimo in Angliam soluturus diem obiit Duynkercæ.

Guilielmi  
Holti ini-  
tia.

Migrans in  
Scotiam  
capitur.

Vnde illi  
conflata in  
uidia.

XXV. Interea dum hæc aguntur in Anglia, & vel sudore viuentium, vel morientium sanguine Religio firmatur & crescit, sensit societas aduersum se in *Guilielmo Holt* æmulationis aculeos acriores, quàm aut hominis integritas, aut Societatis innocentia postularet. *Holtus* è Lancæstria oriundus, primis literarum principijs domi haustis, Rhetorum ac Philosophorum ornamenta adiunxerat in Academia Oxoniensi: Theologis etiam audiendis tres annos dederat, quando Hæresim pertæsus Duacum se recepit præceptis melioribus imbuendus. Isthic annos alios tres Theologicis institutis cum tradidisset, ordinibus sacris initiatus, Romamque profectus, in Societatem adscriptus est, sexto idus Nouembris anni septuagesimi octaui, ætatis annum agens trigessimum tertium. Decurso Tyrocinijs studio, anno altero Theologis euolendis dato, quoniam qui in Angliam missi fuerant *Campianus* & *Personius*, ad amplissimam colligendam messem flagitabant adiutores, iunctus *Heywodo Holtus* in eam Insulam nauigauit. Tenebatur id temporis arcta in custodia Regina Scotiæ, Hæc inter carceris angustias fidem Catholicam, Principisque filij salutem in præcipuis curis ponens, poscebat quempiam qui doctrina, pietate, industriâ illam sustinere, hanc datâ opportunitate in tuto collocare posset: Deligitur à *Personio Holtus*; Regiæ ad Regem puerum munitus literis in Scotiam penetrat; beneuolè initio accipitur; spem non leuem conceipit fructus humanitate excitatam principum virorum: Concidit tamen illa non ita multo post Caluinistarum puriorum depressa consilij, quæ inde ex Anglia fouebat Elizabetha cum suis incitabatque; captumque *Holtum* deposcebat ad quæstionem admoendum: Rex obstitit matrem reueritus & Oratoris Gallici precibus confirmatus. Post duos annos Scotiæ impenos iubetur liber Scotiâ discedere: Ita *Personius* ad Ribadeneiram in Septembri anni octogesimali quarti *Guilielmus Holte* (quem accepisti missum ex Anglia in Scotiam, carceres aliquamdiu tolerasse) nunc liber est; liberi etiam sunt alij Patres duodecim cum vno coadiutore recentè in eam vineam transmissi. Anno deinde octogesimo sexto vocatus Romam; & Seminario Anglorum de vibe moderando datus Rector ad sesquiannum præfuit: Tum in Belgium missus consedit Bruxellis ad decennium; frustra ad inuidiam infamiamque conflandam laborantibus æmulis; quam ille inuidiam semper animi æquabilitate singulari, atque inuicta patientia facilè depulit.

XXVI. Inde ab anno octogesimo primo *Alanus* & *Personius* cum reus Catholicæ in Anglia & Scotia communi consilio promouendam suscepissent, quoniam inter cætera auxilia, *Mariæ* Regiæ Scotiæ libertas (quam Elizabetha ab annis duodecim coërcuerat) non parum momenti allatura videbatur, *Carolus Pagettum*, & *Thomam Morganum* (qui Scotiæ rationibus se plurimum per literas vtro citroque ad illius necessarios datas immiscuerant) in consilium adhibendos censuere. Ortâ verò in eos confestim consilio-

rum

rum discrepantia (*Alano & Personio* Regis Catholici, Pontificis, & Ducis Guisæ fidei rem committendam existimantibus, *Pagetto & Morgano* Reginæ suadentibus alia via esse rem gerendam.) Ea quæ inter paucos nata est, in vniuersam penè gentem est propagata dissensio; alijs *Alano & Personio*, alijs *Pagetto & Morgano* adhærentibus; donec anno octogesimo septimo cæsarâ Reginâ plurima inuidia adhæsit *Morgano & Socijs*, quod quibusdam circa Reginam aut non sat fidis, aut multum imprudentibus tam fidenter vsi fuissent. Sub hæc mittitur *Holtus* Bruxellas: Aduolant *Pagettus & Morganus*: & quanquam amicè accepti, inhæsit tamen illis semper antiquum dissidium, querebanturque omnia ex *Alani & Personij*, nil suo arbitrio confici. Accidit vt *Morganus* repertis in conclau sua manu scriptis literis aduersus *Parmensem Ducem, Alanum*, atque ipsum Regem, dominiõ Regio pelleretur; Id Societati in *Holto* tributum à *Morgani* sodalibus (vt ferè cuncta quæ aduersa huiuscemodi hominibus accidunt quæcunque demum sit causa) vt *Holtus* etiã pellatur adlaboratur. Sex & triginta Capita Accusationis *Alberto* Cardinali Archiduci offeruntur, in quibus *Holtus* famæ, bonis, libertati, vitæ quorundam iniurius ferebatur, & non sat fides Regi. *Albertus Oliucrio Manaræo* rem aperit, iubetque inquirere ab *Holto* quid rei sit, iuncto assessore *Ioanne Baptista de Tassis Alberto* à Consilijs. *Oliucrius* multitudinem capitum attonitus ea tradit *Holto*, "Dolere se dicēs talia accidisse vt quocunque modo respondeatur Societas indemnis esse non possit) sensit id vehementer *Holtus*, & tantum de se inaudito à tanto viro fieri præiudicium indoluit: vt autem se recepit, & perlectis accusationibus cuncta euoluisset, "Dabo, inquit, mi Pater, responsionem non dilucidam modò, sed vt optas breuem; atque præterea talem vt ex qua neque mihi neque Societati nota aliqua, nisi rectitudinis, probitatis, patientiæ, fidei, adhære possit.)

XXV. I. I. Post dies aliquot confedère: Rogat *Holtus* an ad singula ex *Se purgat* ordine, an ad præcipua aliqua responderi velint? Paratum se esse in vtrouis. Non ad singula, inquit *Tassis*, notans decem capita quæ arbitrabatur eximia; quæ cum *Holtus* dissoluisset, & vrgeret in reliquis audiri, sibi vterque proficitur in omnibus factum satis, nec opus esse pluribus: Deprehendisse se in multis plus partium studio dari quam rationi: Addiditque *Baptista Tassis*, Rem in eo versari quòd videretur quibusdam Societas & qui Societatem sequuntur nimium potuisse semper apud suam Celsitudinem, & apud omnes retro Belgij Gubernatores: Ea auctoritate vteremur moderatè. "Illà se moderatè vsurum (si qua esset) respondit *Holtus*, & porrò vsurum, quantum prudentia probataque suggereret: Non posse se respondere de omni verbo factiõis suo; *Omnes enim in multis delinquimus*: Sed de iniuria, aut contumelia quæ grauis sit, aut de quouis modo dictâ oppressione, nullam factam esse, nullam à se faciendam spondit: Beneuolum fuisse omnibus vtilemque; ijs etiam quos ex obiectis coniectura est auctores esse huius accusationis: Id ex illorum communi Procura-